SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

IN

GYMNASIO REGIO BARUTHINO

LOCIS HORISQUE CONSUETIS

RITE CELEBRANDA

RECTORIS COLLEGIIQUE NOMINE

INDICIT

DR. HENR. WILH. HEERWAGEN

GY[redacted]

INSUNT:

EXCERPTA E CODICE BAMBERGENSI AD LIVII LIB. I.

BARUTHI MDCCCLVI.

EX OFFICINA HOERETHIANA.

1856

Licet non ita parvus sit numerus eorum codicum, quibus decem primi Liviani operis libri servati nobis sunt, non tamen idcirco aut textus quem vocant horum librorum praeter ceteros purgatus et emendatus videri debet, aut criticae arti facilior quaedam in his quam alibi comparata condicio est. Immo, si verum fateri volumus, gratior multo ac laetior fructus criticis studiis ostenditur, si quis tertiae decadis vel etiam quintae libris operam impendat, in quibus ut doctae sollertiae latissimus campus patet, ita subsidia praesto sunt certa firmaque, quae quamvis a multis saepe usurpata semper tamen de integro veri investigandi studium invitent atque excitent, uti Parisinus praestantissimus Puteani quondam codex vel unicus ille Vindobonensis. Non eadem ratio primae decadis librorum est. In satis magna codicum manuscriptorum copia nullus tamen adeo ceteris omnibus unus vetustate et auctoritate praestat, ut eum potissimum neglectis aliis ducem sequi aut velis aut possis. Sequitur igitur, ut, ubicumque veritas lectionis in disceptatione versatur, arbitrium eius rei redeat ad plures codices auctoritate vel pares vel non multum dispares, quorum nec consensus semper unde verum stet satis certo testetur, et varietas in locis obscuris utique sterilis ferme et bonae frugis expers sit. Meliores enim omnes primae decadis codd. [1]) ex uno quodam eoque parum diligenter scripto [2]) exemplari videntur manasse, quod iam inde ab decimo seculo multiplicari exemplis coeptum est. Et quoniam in his ipsis melioribus codd. paene omnibus eaedem vel similes subscriptiones [3]) librorum inveniuntur, quibus Nicomachus Flavianus, Nicomachus Dexter, Victorianus emendandis his Livianis libris navasse operam feruntur, vix dubium videbitur, quin antiquum illud exemplar, quod horum qui supersunt mss. quasi fons et caput fuit, eandem praetulerit recensionem, quam principes [4]), quos diximus, viri Dominis Symmachis, ut est in subscriptionibus, olim subministraverunt. Utut res se habet, hoc quidem constat ad emendandos primae decadis libros nihil posse fieri exoptatius, quam ut codex aliquis uspiam e tenebris emergat, quem ex integriore fonte derivatum esse certis atque manifestis indiciis possit doceri.

Itaque quum in bibliotheca publica Bambergensi praeter egregium illum quartae decadis codicem, ex quo uno librum tricesimum tertium suppletum olim esse constat, alterum quoque primae decadis asservari scirem, huius inspiciendi atque perscrutandi non mediocre me desiderium tenuit. Quamquam enim me non fugiebat Godofr. Seebodium [5]) quondam eundem codicem prope per triennium domi suae habuisse, tamen quatenus ille hac opportunitate usus esset ignorabam, et qualis nuper Floro fortuna ex Bambergensi codice ab eodem Seebodio olim tractato [6]) affulsit, talem posse et Livio nostro arridere tacitis saepe cogitationibus volutabam. Sed ea quidem spes, ut primum mihi codicis pervolutandi facta copia est, statim me destituit. Nam praeterquam quod temere, ut fit, folia percurrens in fine libri primi incidi in

1) Hi sunt: Mediceus seu Florentinus (M), Vormaciensis Rhenani (V), Parisinus Alschefskii (P), Harleianus I (H), Leidensis I (L).
2) Cf. Niebuhr H. R. II. p. 107.
3) Cf. Rhenanus ad Liv. II, 30, 4; Drakenborchius in syllabo codicum p. 615 ed. Stutg. Tom. XV.
4) Cf. Otto Jahn in libro: Berichte über die Verhandlungen der königlich sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig. Philologisch-historische Classe. 1851. Dritter Band. p. 365 sq.
5) V. Kreyssig in praefatione editionis lib. XXXIII.
6) Cf. Halm in Jahnii Nov. Annal. Vol. LXIX. pag. 172.

verba ominis plena „Victorianus emendabam dominis symmachis“, postquam strenue rem gerere coepi, iam paucis capitibus cum editione Alschefskii collatis intellexi codicem me habere consimilem Parisino illi, quem cum Mediceo et Vormaciensi ad constituendam primae decadis orationem plurimum auctoritatis habere iudicavit Alschefskius. Nihilominus persequi rem inceptam pergebam si nihil aliud certe illud exploraturus, utrum liber Bamb. merum Parisini exemplum, an eiusdem ille quidem recensionis verum ex alio quodam antiquiore libro descriptus esse demonstrari posset. Sed priusquam de hac quaestione subdifficili latius disseram, pauca lubet praemittere, quae ad cognoscendam causam pertinere videntur.

Liber manuscriptus, de quo agitur, membranaceus est centum duodecim foliorum in quarto quod vocant maiore. Seculi undecimi esse fertur, nec abhorret a fide eundem cum aliis multis mss. beneficio imperatoris Henrici II scholae ecclesiae cathedralis Bambergensis ab ipso conditae dono datum esse. Complectitur codex sex priores Livii libros et septimi partem usque ad verba (c. 17, 3) „*agmine inciderunt*“; quibus verbis quum infimus ultimae paginae versus finiatur, verisimile admodum est folia fortasse non pauca iniuria temporum vel custodum neglegentia prius perisse, quam auspiciis et sumptibus Jo. Chr. Neustaetteri et Hectoris Kotzavii [1]) (anno MDCXI) omnes eius bibliothecae codices tegminibus iis, quibus hodie conspiciuntur, instructi sunt. Exarandi huius libri negotium plures inter se videntur manus partitae esse, siquidem et genus scripturae alibi crassum ac maiusculum alibi minutum magis et coarctatum apparet, et litterarum etiam quarundam aliae aliis locis formae occurrunt. Librarios ipsos diligenter illos quidem atque cum fide opus suum fecisse sed parum doctos fuisse nonnullis causis adducor ut existimem. Persaepe verba sine ullo intervallo continuata inter se sunt; interdum rursus syllabae et litterae tam perverse divisae, vix ut veram earum compositionem dispicere possis. Dabo aliquot exempla: I, 4, 2 se uita rata; 5, 3 preda eam isse; 7, 7 cacu sui; ib. §. 10 dicat uiri; 9, 13 ad solem neludos que; 12, 8 et effuso se gerat; 15, 5 subactiue gentes; 22, 4 si ibidem; 26, 11 suppliciū indicent; 27, 7 eque scitato; 56, 2 ad ali aut specie; 57, 9 noctes era; 58, 5 lucretiā est atanto; etc.

Ceterum exemplar, ex quo liber Bamb. descriptus est, lacerum atque mutilatum fuisse credibile est. Aliter enim vix intelligitur, qui fieri potuerit, ut in B II, 2, 8 post verba „*primores civitatis circumsistunt*“ in medio versu nullo lacunae signo interposito subsequantur verba (c. 5, 3) „*vis hominum simul* etc.“ Sed gravius etiam illud est, quod IV, 21, 6 post verba „*quisquam ex agro*“ pariter medio versu transilit oratio ad c. 50, 4 „*ad vociferationem eorum* etc.“, ut triginta paene capita desiderentur. Quid quod V, 21, 8 post verba „*exta raperent*“ vacua relicta dimidia linea interseruntur repente nonnulla ex cap. 52, 13 — c. 53, 2 „*bustum* [2]) *nempe una illa sedes — apparere vobis quirites puto qui*“, deinde iterum vacua relicta linea excipiunt verba „*et addictarent* [3]) *ferrent* etc.“ Suspicari possit quispiam librarium, quum aliquando ad scriptum redisset, oscitantem in aliud temere folium atque in quod debebat incidisse et decem demum versibus perperam scriptis ad iustum ordinem revocatum esse. At hoc non ita esse sed revera librarium in exemplari suo hoc ipso loco fragmentum illud invenisse primum testatur vacuum spatium post verba „*exta raperent*“. Quid erat enim, cur scriba novo a versu incipiendum esse existimaret, nisi quod ipse vestigiis quibusdam sibi persuaserat haec verba cum ceteris, quibus inserta sunt, haud sane cohaerere? Sed accedit aliud, quod maioris etiam momenti est, argumentum. Videlicet ubi servato in legendo tenore ad ipsum cap. 52 per-

---

1) Cf. Jaeck Vollständige Beschreibung der öffentlichen Bibliothek zu Bamberg. Vol. II. p. XLIV.

2) Mendosa lectio, ut in Leidensi I pro *Vestalibus* est *Vesta busta.*

3) Perperam pro *ad dictatorem.*

venimus, eadem illa verba „*Vestalibus nempe una illa sedes — apparere vobis quirites puto qui*" iusto ordine collocata nobis offeruntur haudquaquam tamen eodem quo supra modo scripta sed multa scriptionis varietate discrepantia, ut illa superiora alii prorsus codici deberi facile intelligas. Itaque exemplar, quo usi sunt qui B conscripserunt, non iam omnia folia sua continuisse existimo sed partem eorum perdidisse, fortasse etiam alius cuiusdam membranae particulam adsutam habuisse, unde et lacunarum et confusionis eius quam dixi repetenda origo esse videatur.

Superest ut de scripturae genere, quod in codice B invenitur, pauca dicam. Litterarum ductus tales ferme sunt, quales specimen scripturae e codice Bambergensi quartae decadis a Goellero editioni libri XXXIII additum repraesentat. Interdum tamen non initio sententiae sed vel mediis verbis una aliqua littera (praecipue I L N R) ad formam initialium exarata est; sic I, 31, 6 Regionibus; 47, 2 diceretuR, 53, 7 simul&uR; III, 16, 6 maioRe; 17, 6 INgressus; 39, 8 ferieNdarum; 43, 7 NI·X·uiri; 42, 3 periclitaretuR; VII, 4, 3 gRaue; ib. §. 6 aleRe; 6, 6 tuLit; 11, 7 simuL cum his; 12, 14 in uNum; item saepe fR (= frater), TR. pL. (= tribunus plebis); littera i, cui nusquam punctum impositum est, saepissime initio vocabuli ceteras litteras longe altitudine exsuperat, sed in posteriore codicis parte alia forma frequentior est, quae propius ad J accedit. Aliquoties etiam nec vero aliter nisi in fine versus contractas duas litteras in unam figuram deprehendi, quod idem Bruns affirmat se invenisse in palimpsesto, ex quo fragmentum Liviani libri XCI ab eo erutum est. Namque in B Praef. §. 5 scriptum est conficiuNT, sed postremae duae litterae ita in unam coaluerunt, ut extrema litterae N pars litteram T quasi insidentem habeat[1]); idem factum est I, 4, 7 puteNT; II, 54, 9 nuntiaNT. Compendia scripturae, quae in hoc codice inveniuntur, nihil magnopere quod memoratu dignum sit praebent. Nota sunt sigla illa praepositionum per, prae, pro, post, con, coniunctionum et, vel, quum, quoniam, quia, quoque al., terminationum bus, rum, tur, it, verborum denique quorundam uti gloria, sanctus, misericordia, nostrum, vestrum, est, esset et quae sunt similia. Nec magis attinet memorare innumerabilibus locis ae et e promiscue scriptum esse, et adspirationem modo addi praeter morem modo omitti; quo in genere illud unum fortasse praetereundum non est duobus locis adspirationis indicandae causa spiritus asperi signum supra vocalem appictum esse. Distinctionis notas praeter punctum et interrogationis signum animadverti nullas; illud autem haud raro ita positum est, ut quam legem librarius secutus sit vix iniri ratio queat.

Sed ut redeat oratio, unde est digressa, anquirentibus nobis, quaenam ratio intercedat Parisinum inter et Bambergensem librum, indicia quaedam ac vestigia, quae teneamus, ipsa utriusque codicis indoles ostendit. Atque primum ut codicem alterum ex altero descriptum esse probemus non leve documentum inde peti solet, si praeter ceteram similitudinem in utroque certis locis easdem prorsus lacunas, easdem adscriptiones inveniri constet. Atqui nec lacunarum, quas supra commemoravi in codice B deprehendi, nec fragmenti illius V, 21 temere immixti quicquam apparet in Parisino, immo plena huius oratio illis locis est atque recto ordine continuata. Parisini igitur apographum esse Bamb. librum hac quidem via evinci non potest. Sed accedunt certae quaedam rationes, quibus in illam concedere sententiam vetemur. Parisinus liber multifariam ab altera manu emendatus est „perantiquo tempore ad fidem optimorum exemplorum", ut ait Alschefskius, qui suis ipse oculis eum inspexit. Cum his emendationibus, non iis modo, quibus sine dubio verum restituitur, sed cum vanis quoque ac futilibus ita congruit permultis locis Bamb. libri lectio, ut, si constanter alteram Parisini manum sequeretur B, aut hunc ex illo descriptum aut illum ex hoc correctum esse nullo negotio posset colligi. Nunc autem aliis haud paucis locis

---

1) Cf. Pertz in libro: Ueber ein Bruchstück des 98sten Buchs des Livius. Berlin 1848. p. 14.

in B apparet antiquior Parisini lectio, quem cur librarius, dum alibi recentiorem sequitur, his potissimum locis praeoptaverit, probabilis quidem causa non potest fingi. Itaque quum Bambergensi libro duplex similitudo cum Parisino sit, una cum antiquiore eius scriptura, altera cum emendatrice manu, neque tamen huius ancipitis quasi rationis qualis origo fuerit, aut ex hoc aut ex illo codice explicandi copia fiat, ipsa re ad eam cogitationem deducimur, ut non Parisinum ipsum sed simile huic exemplum similiterque emendatum vel emendatius iam scriptum iis, qui B exaraverunt, propositum fuisse arbitremur [1]). Accrescit huic suspicioni inde aliquantum fidei, quod B interdum a similitudine Parisini ita digreditur, ut propius a Mediceo vel etiam ab Harleiano I absit; quo in genere quum saepe minutae res momentum habeant non vereor, ne quis leviora ducat, quae nunc exempli gratia enumerabo: Praef. §. 8 aut in magno; §. 12 habundantes; I, 1, 8 sancxisse; 7, 10 dicat uiri; 12, 7 resistere Romani; 23, 5 nichilhominus; 17, 2 in societate quia; 36, 2 in tiberim; 37, 2 poene; ib. §. 6 ire obuiam; 41, 5 aliterso (M abiterso); 57, 2 infestus; etc. Quo fidelior atque constantior Parisini comes alibi fere levissimis etiam in rebus Bamb. liber reperitur, eo magis, si quae lectiones eius aliquam ceterorum codd. meliorum affinitatem indicare videntur, harum habenda ratio est. Etenim ad recte aestimandam Parisini virtutem ac fidem ita maxime valebit B, si pariter omnia, et in quibus consentiat cum P et in quibus discrepet, ad altiorem quandam auctoritatem referri posse pateat.

His dictis quamvis intelligi putem, cur codicis B lectiones nosse non prorsus supervacaneum esse videatur, tamen quaesiverit fortasse quispiam, ecquid tandem operae pretium sit eius libri varietatem enotare, qui uni ex praestantioribus codd. iam penitus excusso prope geminus sit. Et sane si quis hoce praesidio fretus adspiraverit ad spem grandioris ex restituendo Livio percipiendae laudis, eum falli tota re certum est. Nihilominus ille labor sua quaedam praemia habet. Nimirum si verum est, quod supra dixi, meliores primae decadis codd. ex uno aliquo non satis emendato exemplari omnes originem traxisse, ad criticam artem in his libris rite factitandam non parvi interest eius archetypi indolem atque speciem, quatenus apographa, quae nunc supersunt, de ea re permittant coniecturam facere, certis quasi lineamentis informare. Quis est enim, qui nesciat saepenumero multo satius esse, quid in archetypo scriptum fuerit, sagaciter perspexisse quam per incerta opinionum commenta evagari? Itaque quum cod. B vestigia quaedam aperire videatur, quibus deliberatio de archetypo illo, quod dicimus, insistere possit, non est profecto, cur tale subsidium repudiemus. Non ego nunc loquor de illis locis permultis, quibus B eandem lectionem mendosam, quae in ceteris codd. melioribus inventa est, et ipse profert, quamquam tali consensu manifesto efficitur idem iam mendum in archetypo fuisse. Sed alia quaedam magis recondita patefacit liber Bambergensis. Videlicet III, 2, 12 in M et P vitiosa lectio est inclinatoribus, at in B inclinatiribus, ut dubitari possit, eodemne ex fonte utraque lectio profecta sit. Nihilo secius haec ipsa varietas quasi digito monstrat, quid in archetypo scriptum fuerit, nempe inclinat$\overset{i}{o}$ribus; ita enim is qui B scripsit in errorem delapsus est, ut litteram o delendam putaret. Sic aliis quoque locis archetypi lectio vel potius correctio eius aliter ab aliis librariis videtur accepta esse: I, 9, 1 in vetusto codice quippe omissum erat sed inter lineas adscriptum. Unde factum est, ut in M recte quippe quibus nec, in P m. 1. quippe nec, in B quibus nec scriptum legatur; II, 12, 16 in archetypo sine dubio fuit qu$\overset{a}{o}$d te, inde in PH recte quoad te, in M quot te, in B quod ate

1) Idem fortasse valet in cod. Helmstadiensem I, qui, quantum ex collatione a Wernsdorfio instituta potest colligi, et ipse Parisino simillimus est.

factum est; similiter c. 13, 1 in archetypo videtur fuisse sceuol$\overset{a}{\text{e}}$ clade, inde MBHelm. dant sceuolae clade, P autem recte sceuole a clade; III, 19, 1 quum in P m. 1. parte pace, in B partea pace legatur vix potest dubium esse, quin in archetypo fuerit part$\overset{a}{\text{e}}$ pace. Talium exemplorum numerus quum facile possit augeri, tamen ex his ipsis, quae allata sunt, existimo apparere vetusti exemplaris, quod ceterorum omnium fontem fingimus, primam scripturam iam non fuisse integram sed passim a manu emendatrice correctam. Idem testantur loci non sane pauci, ubi in B pariter atque in aliis libris melioribus duplex lectio in continuam orationem recepta est, uti II, 7, 6 fieri fore; 20, 10 antesignis signanis; 56, 2 administraturum permissurum; III, 20, 1 consularis consularem officii; 22, 9 et extra castra munimenta; 24, 5 multi priuatim multis priuatis; 25, 4 maxime et tribunis ex tribunis; 35, 7 obsequendo obsecundando; 37, 6 quia populares quia id populare habebatur; etc.

Si Vormaciensis Rhenani codex praeter spem servatus aliquando e tenebris emergat, vel si Harleiani I saltem collationem diligenter ac iusto modo institutam adipiscamur, profecto multo plura suppetent praesidia ad absolvendam hanc quaestionem, quam inchoatam potius a me quam institutam esse libere fateor. Interim leviora quaedam, quae legenti mihi codicem B in mentem venerunt, silentio praeterire nolo. Primum errores quidam huius libri, ni fallor, ex eo suborti sunt, quod in archetypo interdum de more antiquo una syllaba bis deinceps legenda semel sed maiusculis litteris scripta fuit [1]). Non equidem dubito, quin I, 5, 6 comparando ETatem (i. e. comparando et etatem), c. 4, 7 stabuLArentiae (i. e. stabula larentiae) is qui B scripsit in exemplari invenerit; sed imperitus huius compendii comparando aetatem et stabula rentiae dedit. Deinde multis locis in vetusto codice inter duas vocales, quarum altera in fine, altera ab initio duorum sese excipientium verborum erat, signum illud litterae s fere consimile videtur interpositum fuisse, quod Alschefskius [2]) in Puteaneo quoque se invenisse ait. Hoc quum a librariis pro littera ʃ haberetur, haud raro vera lectio depravata est. Huc referendae aliquot codicis B lectiones sunt: I, 6, 3 expositis; 9, 12 species; 14, 7 adequitandos; 21, 3 earu sibi; 45, 2 iterandos, atque hoc quidem loco in codice ipsa forma huius signi (s) servata est, quum alibi semper etiam in fine verborum ʃ exaratum sit.

Reliquum est ut, quid potissimum in excerpendis codicis B lectionibus spectaverim, breviter exponam. Quum in B quoque, ut in omnibus vel optimis codd. usu venit, librarius sua culpa multa peccaverit, quae mendosa esse primo adspectu quilibet intelligat, ea exscribere nolui. Saepissime eum errorem deprehendi, ut vera lectio perperam addita syllaba deformata sit, uti I, 54, 2 delictis pro dictis; 55, 2 arenea pro area; II, 2, 4 contentionem pro contionem; 7, 9 exspectata pro spectata; §. 10 monumento pro momento; 9, 3 regiminis pro regnis; 10, 2 statuta pro statua; 11, 9 leuata pro laeva etc. Haec et his leviora menda, quae qui umquam codices manu scriptos inspexit omnibus communia esse compertum habet, quamvis diligenter a me enotata sint, tamen huc transferre supersedi. Ne de orthographia quidem aut de assimilatione quam vocant praepositionum nisi perraro quicquam proponere placuit, praesertim quum in hoc genere B non ita multum a Parisino discrepet. Ad illud vero animum intendi, ut hisce excerptis et aliis, quoad eius fieri posset, de codicis B auctoritate suo cuique iudicio utendi potestatem facerem.

---

1) Cf. Klotz in Novis Annal. Suppl. XIX. p. 159.

2) V. amplioris editionis praefat. tomi III. p. XIII; praeterea Pertz in libro supra laudato „Ueber ein Bruchstück etc.“ p. 2 med.

Lectionibus codicis B praefixae sunt lectiones editionis, quam Weissenbornius adornavit, Teubnerianae anni MDCCCL.

Praefatio. §. 1 Facturusne operae pretium sim) Facturus ne sim opere pretium. — §. 2 quippe qui etc.) Quippe qui cum ueterum tam uulgatam. — §. 3 in obscuro est) in obscuro sit. Indicativus nec grammaticae rationi nec sententiae loci satis videtur aptus esse. Cf. Jahnii N. Annal. Vol. LXIX. p. 663. — ib. magnitudine eorum me, qui nomini officient meo, consoler) B. — §. 5 prisca tota illa mente) B. — ib. efficere posset) B. — §. 9 velut desidentes) uelud dissidentis. — ib. pati possumus) pati possū. — §. 10 tuaeque rei publicae) tuaeq. rep. Cf. Alschefski ad IX, 37, 4. — §. 11 tam serae) tam sera. — §. 12 forsitan necessariae) B. — §. 13 ut poetis) ut petis. — ib. orsis tanti operis) orsis tantum operis. Quum eadem lectio in P M m. 1. L inveniatur, nescio an servanda sit. Tantum operis idem est quod supra §. 4 res immensi operis. Orsis autem, etsi apud poëtas orsa, orum substantive dictum invenitur, tamen pro Liviana dictione participium potius sensu activo, ita ut nobis ex proxime antecedentibus suppleatur, videtur esse.

Liber I.

Cap. 1, 1 auctores fuerunt) auctores ferunt. — §. 2 in intimum Adriatici maris sinum) in intumum maris adriatici sinum. Haec verborum collocatio in omnibus usque ad Bekkerum editionibus servatur. Is quum apud Drak. notatum invenisset in M legi Adriatici sinum maris, recepit Hadriatici s. m. Sed videtur error aliquis subesse, quum Alsch. ex eodem codice adriatici m. s. profert. Utcumque est, non equidem intelligo, cur a vulgato olim ordine verborum discedendum sit. Cf. Suet. Tib. c. 16 inter Danubium flumen et sinum maris Adriatici. — §. 3 primo) B. — ib. pagoque Troiano inde) pagoque inde Troiano. — §. 4 ad maiora rerum initia) B. — ib. ad Laurentem) B. — §. 5 Troia et huic) B. — ib. ut quibus) in quibus; paulo post superessent. — §. 7 quidve quaerentes) quidquerentes. — ib. Laurentinum) B. — §. 8 urbis locum) urbi locum. Hoc praetulerim. V. Jahn. N. Ann. l. l. p. 664. — ib. dextra) B. — §. 10 ea utique res) ea res utique. Quum ea res quodammodo pro una voce (= hoc) sit, nescio an lectio codicum praeter M, ut videtur, omnium retinenda sit. Cf. Curt. IV, 11, 15 Nihil quidem habeo venale, sed fortunam meam utique non vendo. — §. 11 stirpis) B.

Cap. 2, 3 regem eorum) rege eorum. — §. 4 nec sub eodem) B. — §. 6 ultimum mortalium operum) ultimum operam mortalium. Unus M ordinem verborum invertit, cui num tantum uni auctoritatis tribuendum sit, ut ceteros omnes neglegamus, admodum dubito. — ib. Numicum fluvium) numicum flumen. Cf. Kreyssig ad XXXIII, 4 in.

Cap. 3, 1 et regnum avitum) ad regnum habitum. — §. 2 haud ambigam) B. — ib. rem tam veterem) restant ueterem. — ib. hicine) B. — §. 3 Lavinii multitudine) labini multitudinem. — ib. reliquit) relinquit. Idem quum in H et P (relinquid) exstet, equidem non spreverim. Cf. Fabri ad XXII, 21, 8. — §. 4 Albam Longam deductam coloniam) longam albam coloniam deductam. Ordo verborum coloniam deductam Livio magis usitatus videtur fuisse; cf. XXXIX, 55 med.; XL, 34; XXXIV, 45. — ib. tantum tamen opes creverant) tantum tamen alba longa | opes creuerant. Idem additamentum inverso tamen verborum ordine (longa Alba) in Palat. 1. 3. inveniri fertur. Haec verba primo in margine adscripta dein falso in ipsam orationem translata esse apparet. Cf. Weissenb. ad IX, 39, 4. — ib. ulli alii accolae) ulli accolae. — §. 7 aliquot deductae) aliquot eductae. — §. 8 regnaverunt) regnarunt; paulo post in traiecto. — §. 9 regnat. Aventino fulmine ipse) regnat

uentino flumine. ipse. — ib. pars Romanae est urbis) B. — §. 10 stirpis) stirps. — §. 11 interimit) interemit. V. supra ad §. 3. Paulo post ream siluiae. —

Cap. 4, 2 vi) ut. V. II, 17, 1. — §. 4 forte quadam) forte quodam. — §. 8 peragrare saltus) B. —

Cap. 5, 1 in Palatino monte) in palatio monte. V. Weissenb. ad h. l. in ed. Weidm. — ib. dein) dehinc. — §. 2 vocaverunt) uocarunt. — §. 4 sic ad supplicium Numitori) sic numitori ad supplicium. Ita ceteri quoque praeter M codd.; nec sententia loci aliam verborum collocationem poscere videtur. Nimirum cur Numitori potius, non Amulio traditus Remus sit, docere instituit Livius. — §. 5 aperiri) aperire. Hoc aptius est; quid enim speraret Faustulus, nemo nisi ipse poterat aperire. Sic XXI, 39, 1 omnes fere codd. perperam armari pro armare dant. — §. 7 ad apertam vim) ad uim apertam. Exquisitior sane ille est verborum ordo, quem M exhibet, non tamen idcirco uni codici fides habenda. Omnino suspiciosa mihi est haec Medicei in verbis struendis discrepantia, quippe quae priore huius libri parte frequentior dein magis magisque evanescat.

Cap. 6, 1 scelus in se fratris) scelera in se fractis. Singularis (scelus) potest probari, cf. IV, 2 extr.; XXIX, 8 med.; XXXI, 30 extr.; XL, 8 post med.; c. 10 in.; XLII, 29 in.; Cic. Verr. III, §. 152; V, §. 106; sed cur praeferendus utique sit, non intelligo. — ib. caedem deinceps) B. — §. 2 efficit) B. — §. 3 Albana re permissa) B. Paulo post in his locis. — §. 4 verecundia) verecundiam; deinde tute lam ea loca. —

Cap. 7, 4 et pabulo laeto reficeret boves) B, nisi quod l&to scriptum est. — §. 5 pulchritudine boum) pulchritudinem boum. — §. 7 boum) B. — ib. ad speluncam vadentem) uadentem ad speluncam. Sic ceteri quoque codd. praeter M; v. supra ad c. 5, 7. — §. 8 eae gentes) haeae gentes. — §. 12 ibi tum) Ibi dum; quod quamvis plerique codd. praebeant, servari tamen nequit, nisi excidisse nonnulla statuamus. In sequentibus verba Herculi adhibitis ad ministerium dapemque desunt in B. — §. 13 extis sollemnium) extis sollemnibus. — §. 14 antistites) B; infra tamen c. 20, 3 antestites. — §. 15 virtute partae) uirtute parta. — ib. sua fata) sua facta. Illud iure praetulit Weissenbornius.

Cap. 8, 3 et apparitores et hoc genus) B. Licet omnes alterum illud et tueantur, expungendum nihilominus est vel potius transferendum in eum locum, ubi vix possumus ea particula carere, ante vocem numerum. — §. 5 adiciendae) adiciende. —

Cap. 9, 1 finitimarum civitatum) finitamarum ciuitatium; infra c. 17, 4 ciuitatum. — §. 3 quas sua) qua sua. — ib. magnas opes sibi) B. Alsch. in M magnas sibi opes scriptum esse affirmat; diversa ab his prodit Drak. — §. 4 ac genus) B. — §. 5 ac plerisque) B; cf. Jahn. N. Ann. Vol. LXXI, 3. p. 197. — ib. ecquod) eo quod. — §. 10 ad rapiendas) ad capiendas. Illam vocem sollemnem in hac re fuisse docuit Weissenbornius; cf. Ovid. Fast. III, 203. 207. 217. — §. 11 in quem quaeque) in quemq. quae. — ib. excellentes) B. — §. 12 specie ac pulchritudine insignem) B, nisi quod species scriptum est. Unus M mutato verborum ordine: insignem sp. ac p. — §. 14 generi sit) genere sit; paulo post dedissent. —

Cap. 10, 1 Iam admodum) B. Et, quod Alsch. ex uno P ante iam admodum inseruit, pro mendo librarii habendum est. — ib. in iis regionibus) in his regionibus. — §. 3 ne Crustumini quidem) Nec rustum iniquidem perperam divisis litteris; sed id ipsum documento est in antiquiore exemplari non fuisse quod P M exhibent Nec Crustumini quidem. Paulo post recte B atque (P adque, M aque). — ib. movent) moueant. — §. 4 vanam sine viribus iram esse) Deest in B esse, quod ne in editionibus quidem vetustis legitur; Aldus primus videtur addidisse. Fortasse adscriptum est esse

ab emendatore aliquo vetere, ut exitus hexametri vanam sine viribus iram in clausula vitaretur. V. Quintil. IX, 4, 74 et 75. — §. 5 escendit) ascendit. — §. 6 arma fero templumque his regionibus) arma ferens. templum his regionibus, quae lectio nec in codice ullo alio nec in editionibus vetustis inveniri videtur. — §. 7 laturos eo spolia) B. — ib. compotum) compositum; deinde parata. —

Cap. 11, 1 raptim et ad hos) raptim ad hos. — §. 2 coniunx) coniux. — §. 4 nomina) nomine. — §. 8 quod in sinistris manibus haberent) quod in sinistris manibus esset haberet. Esset ex §. 9 huc translatum videtur esse. — ib. eo scuta) eos scuta. — §. 9 directo) de recto. Cf. infra ad c. 27, 5. —

Cap. 12, 1 subiere) subire. — §. 2 utrimque) utrique; dein metius et paulo post hostius hostilias. — §. 3 cecidit) cedit. — §. 4 inde huc) Inde hunc. — §. 5 hominumque) hominemque. — §. 6 voveo) uoueto. — ib. quod monumentum sit) B. Alschefskium, qui ex P m. 1. recepit monumento, redarguit praeter ceteros liber Bamb., quum praesertim per totum hoc caput B cum prima manu codicis P fere consentiat. — §. 7 velut si sensisset) ueluti sensisset. Cf. Fabri ad XXIII, 18, 14. — ib. restitere) resistere. — §. 10 convalle) cumualle. —

Cap. 13, 2 ne sanguine se nefando) ne se sanguine nefando. Illud cur ex uno M recipiendum sit parum liquet. — §. 4 movet res cum) mouent res cum. — §. 5 equum Curtius in vado) equos curtius in ualido. In antiquiore exemplari fortasse equom scriptum erat. — §. 6 nomina earum) nomina eorum. — §. 7 haud dubie) autem dubie. — §. 8 ab T. Tatio) ab tatio. —

Cap. 14, 2 concursu) cumcursu. — §. 3 renovatum est) B. — §. 4 occupant) B. In M occupabant legitur, quod ex antecedente apparebat ortum iniuria recepit Alsch. — ib. vastatur) uastantur; sic meliores fere omnes codd. „forsitan recte“ inquit Alsch. Verius autem Drakenborchius: „Malim id errantibus scribis tribuere, quibus agri imposuit“. De genitivo partitivo ante pron. relat., unde pendet, posito cf. XXIII, 25, 10; XXIV, 32, 8; XXVII, 43, 11; XXXIII, 13, 10; ib. c. 18, 11. — §. 5 quia dextra) B. Mendose PML qua dextra. — ib. cum magna) tum magna. — §. 6 tam vicinum) tantum uicinum. — §. 8 inter pugnae) inter pugnam, quod et ipsum ferri posset. — ib. effusi) B. — §. 9 e castris) B. — ib. quique cum eo equis abierant) quique cum eo equisierant. Iam inde antiquitus hunc locum in codd. depravatum fuisse ostendit multiplex lectionum variatio. Fortasse legendum est: quique eum sequuti erant. —

Cap. 15, 1 stimulabat) stimulabant. — §. 4 nulla arte) nulla parte. — §. 7 profecto) B.

Cap. 16, 1 subito coorta) subito cohorta. — §. 2 proximi) B. — §. 4 tum quoque aliquos) tum quoque alios. — ib. patrum manibus) patrium manibus. — ib. sed perobscura fama) Abest sed a B. — §. 5 et consilio etiam) B. Cf. Fabri ad XXI, 54, 3. — §. 6 venerabundus) uenerabundusque. — §. 8 fides fuerit) B. V. Weissenbornium ad h. l. (ed. Weidm.).

Cap. 17, 1 necdum a singulis — pervenerat) B. Hanc meliorum omnium codd. lectionem aptam interpretationem vix admittere plerique consentiunt, qui huic loco operam dederunt. Nescio an legendum sit intervenerunt. Cf. X, 24, 2 quae (concordia) ne perpetua esset, ordinum magis quam ipsorum inter se certamen intervenisse reor; I, 6, 4. — §. 2 in societate aequa) in societate quia. Paulo post aspernebantur. — §. 3 regnari) regnare. — §. 4 in animum inducebat) Abest in a B. Livius semper in hac locutione praepositionem addit. Cf. II, 15, 3. Ciceronem contra Madvigius (Bemerkungen über versch. Puncte d. Systems d. lat. Sprachl. p. 11 nota) ait semper dixisse animum inducere. — §. 7 servitutem) seruirem. — §. 8 cum sensissent ea moveri) cum censissent et amoueri; deinde ammissuri, sed idem paulo ante §. 2 amitterent. — §. 9 id sic ratum esset) id si gratum esset. — ib. idem ius vi adempta) id enim uisu iam demta. — ib. in incertum) in-

certum omissa praepositione. Deinde post auctores fiunt in B plures versus usque ad verba adeo id gratum interciderunt.

Cap. 18, 1 Incluta) inclita. — ib. esse aetate) B. — §. 2 Crotonam) B. Cf. XXXI, 25 in. Eleusinam (cod. Bamb.); Curt. III, 3, 4 Babylonam; Prob. Themist. c. 2, 8 Salaminam, Troezenam (codd. optimi). — §. 6 in arcem in lapide) in arcem lapidem praepositione a littera ultima praecedentis verbi (m) intercepta et perperam addita in lapide lineola, qua m notari solet. — §. 7 augur ad laevam) augurat leuam. — ib. appellarunt) B; v. supra ad c. 3, 8. — §. 8 quo longissime) quod longissime. Probabilis est Weissenbornii coniectura quoad. — §. 9 adclarassis) B. —

Cap. 19, 2 quippe efferari) B. — §. 4 luxuriarent) B. — ib. iniciendum ratus est) iniciendum ess|e ratus est, quae lectio in nullo alio codice inveniri videtur. — §. 6 atque omnium primum ad cursus lunae) adq; omnium ad primum lune | cursus. — ib. intercalariis mensibus interponendis) intercalares mensib; interponendos. — ib. orsi essent) orsi erant B unus, ut videtur.

Cap. 20, 1 pertinent) pertinet. — §. 2 huic duos flamines) hic duos flamines. Heumannus non male proposuit hinc. V. Drak. ad XXVI, 13, 13. — §. 3 iis, ut adsiduae) is ut assidue. — §. 4 Salios item duodecim) alios item XII. — §. 5 ad quae templa) atq; templa. — ib. sumptus) B. — ib. pecunia erogaretur) B. — §. 6 neglegendo) B. — §. 7 manes ut idem) mansuetudine mirabili litterarum transpositione. — ib. ad ea elicienda) ad ea elicenda. —

Cap. 21, 1 proximo legum ac poenarum metu) B, nisi quod penarum habet. — §. 2 finitimi) B. — ib. qui antea) qui ante. Quum frequentissima in codd. harum vocum commutatio sit, uni M antea praebenti fidem habere nolim. — ib. ad sollicitandam) B. — ib. non urbem positam) non urbem posita. Memoratu dignum est hac lectione confirmari Douiatii coniecturam. Nec desunt exempla, in quibus praedicatum remotioris substantivi genus assumpserit; cf. Cic. Verr. I, 58, 153 talis improbitas tamquam aliquod incendium restinguenda est; Ovid. Pont. I, 6, 25 Quidquid id est, ut non facinus sic culpa vocandum. Sed quum toties a librariis in addenda aut omittenda linea, quae litterae m nota est, erratum sit, nihil mutare placet. — ib. violari) violare. Cf. supra ad c. 5, 5. — §. 3 quod earum ibi) quod earum sibi errore omnibus prope codd. et melioribus communi. — §. 4 involuta) B. Adinvoluta, quod P M praebent, ex antecedentibus ad digitos ortum esse recte iudicat Weissenbornius. — ib. in dextris) in dexteris. —

Cap. 22, 2 sed ferocior etiam quam Romulus fuit) B. — ib. cum aetas) B. — §. 5 ac benigne comiter) ac benigne comi fronte comiter. V. Jahn. N. Ann. Vol. LXXI, 3. p. 197. — §. 6 fecit) facit, quod quum praeter M ceteri omnes servent codd., retinendum erit.

Cap. 23, 2 certatum est) certa datum est. — §. 3 passuum) passum. Haec forma genitivi plur. quartae declinationis interdum in optimis codd. obvia est. Cf. XXIII, 10, 5 magistratum (Put.); XXXIV, 61, 14 (Bamb.); IV, 9, 13. — ib. fossa Cluilii) fossa ciuili. Nihilominus equidem Livium existimo scripsisse fossa Cluilia, ut est II, 39, 5, quum littera a propter sequentem praep. ab intercidisse videatur. — ib. vetustate) cum uetustate, quemadmodum meliores omnes codd. Atque fortasse haec lectio indicio est a Livio scriptum fuisse: donec nomen quoque cum re vetustate abolevit. Similiter XXIII, 26, 10 erratum est in codd., qui praebent: Hasdrubal in collem satis arduum tutum flumine etiam obiecto tum copias subducit; tum enim, quod sensu idoneo caret, nihil aliud quam tutum huc reponendum esse indicat. — §. 4 Mettium) metium et sic infra c. 26, 1; 27, 4; 28, 6. — ib. infesto) infecto. — §. 5 quam proxime) B. — §. 6 tametsi vana adferebantur) B ut ceteri codd. Nescio an legendum sit: haud aspernatus Tullus tamen, si („für den Fall dass“) vana adferantur, in aciem educit, videlicet ut paratum bello animum ostenderet. — ib. structi) B. —

ib. duces procedunt) B. — §. 8 quo propior es Tuscis) qui proprior uulscis. — §. 9 viam, qua, utri utris imperent) uiam ut utri | imperent. — §. 10 cum indole) tum indole. —

Cap. 24, 1 Curiatiosque) curatiosque. — §. 2 dimicent ferro) dimicent bello B solus, ut videtur. Quamvis bellum ab historicis nonnumquam eo sensu dicatur, ut idem significet, quod proelium (cf. Mützell ad Curt. III, 10, 3), quo verbo infra c. 25, 11 de hoc certamine utitur Livius, tamen in consensu ceterorum codd. vulgata lectione standum est. — §. 5 rex, facisne) Rex pacisne. — §. 6 is patrem) patrem ut plerique codd. Sed quum manifesta sit causa, cur pronomen interciderit, codicum M V auctoritas potior est. — §. 7 Iuppiter, audi, pater patrate populi Albani) Iuppiter Audi inquid pater patrate populi albini. — §. 7 prima postrema) prima postremum. — §. 8 tum ille Diespiter) tum ille diesiuppiter. Cf. Jahn. N. Ann. Vol. LXIX, 6. p. 660. — §. 9 id ubi dixit, porcum) iddixit Ubi porcum. —

Cap. 25, 1 arma capiunt. cum sui) arma capiunt. armati cum sui. Memoranda ea lectio videtur, quoniam a librariorum certe incuria profecta non est. Nec is usus participii a Livii genere dicendi abhorret. V. Zumpt. gr. §. 718. — §. 2 incenduntur) B. — §. 3 obversatur) obseruatur. — §. 5 cum iam non) cum non iam B unus. V. Hand. Turs. III. p. 132. — §. 6 cum conclamasset) B. — §. 9 faventium) B. — §. 11 dabat) B. — §. 12 tertium in causam belli) tertium | causam belli. In Gronovii coniectura causae, quam nuper Weissenbornius quoque recepit, videtur esse acquiescendum. — §. 14 sepulcra exstant) sepulchra extant. — ib. ut et pugnatum est) ut pugnatum est. Sic editiones quoque vetustae ante Aldinam, in qua et ut p. est legitur. —

Cap. 26, 2 quae desponsa) quam desponsa; paulo post obuiam ante. — ib. super humeros) super umeris, terminatione sequentis vocis (fratris) perperam adscita. Omissa in voce umerus adspiratio optimorum ubique codd. auctoritate probatur. Cf. Halm. ad Cic. Verr. IV, 34, 74. — §. 4 quaecumque Romana) quaecumque romanum. Illud verius. — §. 5 raptus in ius) raptus intus; paulo post ad secundum, ut meliores omnes. — §. 6 vel intra pomerium vel extra pomerium) B. — §. 7 hac lege) ac lege, dein contemnassent. — ib. Publi Horati) publiorati. Paulo post verba: conliga manus. accesserat lictor omissa sunt. — §. 9 in filium) in filiam. Quum ni ita esset non declaret ni caesa esset, sed ni iure caesam iudicaret, frustra Alschefskius hanc lectionem tutatus est. — §. 10 huncine) B. — §. 11 i, caput obnube) I I Caput obnube, quod est i i cap. ob n. Cf. Drak. ad II, 53, 3; Alsch. ad XXIII, 5, 1. — ib. arbore infelici) B. — §. 14 constructum est saxo) B. —

Cap. 27, 4 descissent) desciuissent B solus. Sed cf. Drak. ad XXIV, 45, 2. — ib. transiit) transit. Cf. Krüger. gr. I. p. 119. n. 4. — ib. ad confluentis) B. — §. 5 hi) hii. — ib. dirigit) B M. Contra P derigit, de quo v. Alsch. ad XXII, 19. p. 390, 3. — §. 6 ea inclinare) eam inclinare. — §. 8 invadant) B. — ib. item imperat) id ÷ imperat, quod est id est imperat. Quod in plerisque invenitur codd. idem (nuper a Weissenbornio receptum) pro dativo est habendum. Cf. Alsch. ad XXIII, 23, 2. — ib. erigere iubeat) erigerent iubeat. Quum pro iubeat in aliis codd. iubet, in aliis studeat vel studeant legatur, suspicio subest hanc vocem ab aliena manu Livianae orationi insertam esse, fortasse quod iam in antiquioribus mss. mendose erigere scriptum erat. Quapropter iure Modius legi voluit: Idem imperat, ut hastas equites erigerent. Nec opus est iubendi voce; quod enim uni illi equiti dixerat Tullus se fieri velle, id per eum absentibus quoque imperabat equitibus. Alia ratio est III, 28, 1 et XL, 47, 8; tribuni militum enim ita militiae munia obeunt, ut iubeant. — §. 10 ab tergo) B. —

Cap. 28, 2 hi) hii. — §. 5 subiere ad montes) B. Paulo post aduerteretur et circumvenire. — §. 7 faustum) factum. — ib. in unum redeat) B. Alschefskius et nuper Weissenbornius ex uno M

receperunt redeant subiectum esse duo populi docentes. Sed nescio an rectius retineatur singularis; primum enim nusquam frequentius peccatum est a librariis quam in hoc genere (cf. XXIII, 5, 1, ubi per meliores libros omnes poterant pro poterat scriptum invenitur); deinde vero Tullius oratione sua id agit, ut Albanis se beneficium delaturum praedicet, atque eo consilio prudenter rem ita interpretatur, quasi nihil aliud velit nisi rem Albanam divisam ante in unum corpus redigere. Probarem equidem redeant, si comparatio in hunc modum institueretur: ut ex uno quondam in duos populos divisa Albana res est, sic nunc in unam rem (i. e. Romanam) duo populi redeant. — §. 9 at tu tuo) B. — §. 10 distentum) distentium; deinde qua ineserat. — §. 11 ab tanta) B. —

Cap. 29, 2 captarum esse urbium) Omissum esse in B. — §. 5 exaudiebantur mulierum) exaudiebantur | egressis urbem aliquot versibus praetermissis.

Cap. 30, 1 additur) additus. — ib. ibique deinde habitavit) ibique habitauit. Recte Alsch. ex M V addidit deinde. — §. 2 Quinctios) Quintios. — ib. patrum nostrorum) patrum nrm̄. i. e. nostrum. — §. 6 circumspicere) circuminspicere (ut PMH) manifesto errore; similiter infra c. 40, 2 B exhibet quideminstirpis. Cf. XXV, 36, 5 circuminicere. — §. 7 Etruria erat) etruriaquerat. Particula que videtur otiosa esse, sed fortasse Etruria utique legendum. — §. 9 Malitiosam) malitiosa. —

Cap. 31, 1 pluisse) B. — §. 3 luco) loco. — §. 5 oreretur) B. — ib. a bellicoso) B. — ib. implicatus) inplicitus. Cf. Drak. et Alsch. ad VI, 21, 7. — §. 7 fuerat) fuerant. — §. 8 iis sacris) issacris. — ib. rite initum) rite inritum. — ib. prava religione) praua a religione, sed puncta duo alteri a imposita delendam hanc litteram esse indicant.

Cap. 32, 2 longeque) B. — ib. inde et civibus) et ciuib; inde B solus. Paulo ante regis et elata. — §. 3 sustulerant) sustulerunt. — §. 6 unde res repetuntur) Abest res. — §. 7 dedier mihi exposco) dedier. pr. (i. e. populo romano) mihi exposco. Adscriptum est pr. ab aliquo, qui et in hac formula requirebat quod infra §. 13 (ego populusque Romanus) coniunctum est. — §. 8 fines) finis. — §. 10 cum iis nuntius) Cum his nuntius. — §. 11 rex his ferme) rex ex his ferme. Praepositionem servant et vetustae editiones; primus videtur Curio anno MDLV omisisse. — ib. Priscis Latinis) priscis uel latinis. — ib. quas res nec dederunt nec solverunt nec fecerunt, quas res dari solvi fieri oportuit, dic inquit) quas res dari fieri solui oportuit. nec dederunt nec soluerunt nec fecerunt quas res dic inquid. In vetustiore aliquo exemplo sine dubio librarius oculis a priore quas res ad alterum aberrantibus scripserat: priscis latinis quas res dari fieri solui oportuit dic inquit. (Atque sic exhibent locum antiquae editiones Tarvis. Bechar. Ascens. et omnes fortasse ante Moguntinam.) Sed errore perspecto omissa verba (ut in P) margini adscripta sunt sic: nec dederunt nec soluerunt nec fecerunt quas res, quae quum post quas res inseri deberent, in B perperam post oportuit addita sunt. Ceterum Aldus veram lectionem restituit: quas res nec dederunt nec solverunt nec fecerunt, quas res dari fieri solvi oportuit dic inquit etc. Nam de ordine verborum dari fieri solvi optimi codd., ni fallor Harl. I etiam, consentiunt. Quae Drakenborchius adnotavit ad hunc locum non ex omni parte sufficiunt. — §. 12 in eandem sententiam) in eadem sententia. — ib. consensum) B. — ib. tribus puberibus) trib; pauperib; dein dicere. — §. 13 hominesque Prisci) homines. ue. | prisci. — Deinde B omittit verba: bellum cum Priscis Latinis iussit — populi Romani Quiritium et paulo post consensit. —

Cap. 33, 1 cura) cure; dein flamminibus. — §. 2 sedem veterum) sedem ueterem. — novae multitudini) noue multitudine. — §. 5 potens) B. Paulo post multis mi | litibus. — §. 7 munimentum a planioribus aditu locis) B. — §. 8 ad terrorem) a terrorem. — §. 9 aedis Iovis Feretrii) B.

Cap. 34, 2 his Lucumo) his lucomo. — §. 4 sineret ea, quo innupsisset) sineret ea cum innupsisset. Verba proxime antecedentia et quae haud facile his, in quibus nata in B praetermissa sunt. Eadem in antiquiore iam exemplo defuisse documento est P, cuius in margine demum adscripta sunt. — §. 5 exsule advena) exsulem addena ornatum uideret, aliquot verbis manifesta de causa omissis. — §. 6 arcessitum) accersitum. — §. 8 leniter) leuiter, ut plerique et meliores codd.; nihilominus praestat vulgata. Paulo post in B legitur auferret. — ib. sublimis abit) subimis abiit. — §. 10 nomen) Nome. — §. 12 obeundo officia) oboeundo officia. —

Cap. 35, 1 instare ut) instaret ut. — §. 3 ex hoste) ex hostes. — §. 4 qua civilibus) quam ciuilibus. Dein abest officiis. — §. 6 centum in patres) centum in pares. — §. 8 tunc primum) tum primum. — ib. equitibusque, ubi spectacula) equitib; q. urbis pectacula. —

Cap. 36, 1 adeoque ea subita) adeoque subita, uti vetustae editiones ante Aldinam omnes. — §. 2 Romae est) roma est i. e. romae st. — §. 3 inclutus) inclitus. — §. 4 mota eludensque) mota ludensque; originem erroris docet L, qui exhibet motae ludensque. — ib. inaugura) B. — §. 6 admisissent) B. — §. 7 numero tantum alterum) numero tantum alteram; paulo post mille et CCC equites. —

Cap. 37, 1 Hac parte) ac parte. — ib. ex occulto) B. — ib. sublicis) subliciis. — §. 2 impedit) inpedit. — ib. in Tiberi prius paene) in tiberim prius poene. — §. 6 gesta res erat) gesta res est B solus. — ib. iere obviam) ire obuiam fortasse vere.

Cap. 38, 1 Collatia) Collo | catia. — §. 2 dederetis) dederitis. Praeterea in hac deditionis formula constanter scriptum est Conlatino, Conlatinum etc. — ib. at ego recipio) B. — §. 3 redit) rediit. — §. 4 Medullia) medulla. — §. 5 pax deinde) pax inde. — §. 6 qua nondum) quia nondum. — ib. cloacis) ecloaçis. Suspicor in antiquiore codice duplicem fuisse lectionem aquas vel aquae, quae ita facile nasci potuit, si forte evehebantur, quod euehebant̃ scribi solebat, per neglegentiam mutatum fuerat in euehebant. Itaque nescio an legendum sit: evehebantur aquae, cloacis etc. —

Cap. 39, 1 prodigium visum) B. Cf. infra c. 56, 4 Haec agenti portentum terribile visum. Paulo post verba puero dormienti, cui Servio Tullio fuit desunt in B. — §. 2 excitos reges) exitos reges. — ib. sedatoque iam) B. — ib. abisse) B. — §. 3 viden' tu) videsne puerum. — §. 4 despondit) desponderet. — §. 5 Tarquinii domo) tarquilini domos; fortasse hoc indicium est initio in domo scriptum fuisse. — §. 6 familiaritatem auctam) familiaritate acta. — ib. ut in domo) et in domo. Particulam ut non Aldus primus, ut ait Drakenborchius, sed Becharius iam omisit. — ib. eductum) B. — ib. serva natus) seruo natus.

Cap. 40, 2 non modo vicinae) non modo ciuine, unde fluxit deteriorum codd. lectio ciuicae. — ib. impensius iis) inpensius is. — §. 3 id servus) id seruius; cf. Jahn. N. Ann. Vol. LXIX. p. 662. — ib. cum commune) Abest cum. — §. 4 sed et iniuriae) sed iniuriae, pariter ac P; per errorem enim in ed. Alsch. p. 56, 22 et Parisino tribui apparet ex supplementis p. 618. — ib. eundem) et eundem. — §. 5 quibus consueti erant uterque) B. — ib. vocati) B. — §. 6 obloqui desistunt) obloquio desistunt; cf. Drak. ad VI, 14, 8; c. 33, 1; VII, 21, 2; Orelli ad Cic. Att. VII, 2, 2. — §. 7 dum intentus in eum se rex totus averteret) B. —

Cap. 41, 1 mirantium) mirandum. Paulo post arbitrorseiecit. — §. 2 exsanguem) B. Alibi fere semper in B littera s post ex abiicitur. — §. 3 fecere) facere. — §. 4 posset ex superiore) possit ut superiore. — §. 6 palam factum est comploratione) palam factum et conploratione, quam ego lectionem iure ab Alschefskio receptam esse arbitror. Sententia enim haec est: tum demum

(ubi satis firmatae fuere Servii opes) palam factum (de morte Tarquinii); et comploratione in regia orta (quo in tempore, nisi de regni successore omnia iam constituta fuissent, facile res ad tumultum ac seditionem transire poterat) Servius iam praesidio firmo munitus regnavit et primus quidem iniussu populi voluntate tamen patrum. — §. 7 tum, cum comprensi sceleris ministri sunt) tum cum conpressis sceleris ministris. V. Jahn. N. Ann. Vol. LXXI. p. 198. Mühlmanno emendatio a me proposita, quam Weissenbornius in ed. Teubn. secutus est, vehementer displicet atque tota re a sententia huius loci videtur aberrare. Scilicet non tum, quum comprehensi sceleris ministri essent, sed tum demum, quum nuntiatum esset vivere Tarquinium, Anci liberos exulatum abisse. Non ego quaeram, quantum temporis inter utramque rem videatur intercessisse; nam si rationes subducere vellemus, non de horis sed de horae partibus disceptandum foret. Sed illud sciscitor, quo tandem consilio Livius de comprehensis sceleris ministris mentionem fecerit, nisi ut tempus, quo in exilium abierint Anci liberi, accuratius definiat? — Mühlmannus quidem interpunctione mutata emendare sibi visus est vulgatam, quum scriberet: Anci liberi iam tum, comprensis sceleris ministris ut vivere regem — nuntiatum est etc.; idemque his verbis hanc explicationem subscripsit: „die Söhne des Ancus waren schon damals, als nach Ergreifung der gedungenen Mörder die Nachricht kam, dass etc.“ Sed quam otiosa sic commemoratio percussorum comprehensorum sit, hac ipsa explicatione lecta quilibet me non monente sentit. Profecto autem Anci filiis capti caedis administri prima fugae causa fuerunt; metuebant enim, ne conscii consilii sui rem totam patefacerent; simul vero ut vivere regem audiverunt praesentem tantae iniuriae vindicem, spem omnem incolumitatis abiecerunt. Itaque quid in prolata a me emendatione iure possit castigari, nondum me assequi fateor. Nam quod idem vir doctus lectionem iam tum cum conpr. nisi in M et H non inveniri ait, vellem Drakenborchium adisset, a quo alia doceri poterat. — §. 7 Suessam) sessa. —

Cap. 42, 1 Arrunti Tarquiniis) arunti terquinis; supra tamen c. 34 et II, 6, 7 in B quoque scriptum est arruns. — §. 2 quin invidia) quicum invidia. Quum pro cum, quod etiam in M servatur, in Helm. I scriptum sit cui, dubitari possit, an pleniore post consiliis distinctione posita legendum sit: Cui cum invidia — faceret, peropportune — sumptum. — ib. peropportune) peroportune. Eadem ratione haec vox scripta infra c. 54, 8; II, 13, 10. — §. 5 viritim) uirtim.

Cap. 43, 1 Ex iis) ex his. — §. 2 prima classis) primo classis; suspicor reponendum esse primae classis. — §. 4 et ex iis) et ex is. — §. 5 tertiae classis) Tertia classis. — ib. et haec) B. Cf. Drak. ad II, 44, 12; Fleckeisen in Mus. Rhen. VII, 2. p. 270. — §. 6 verrutum) B. — §. 7 quinta classis aucta) aucta deest. — ib. tubicinesque) tibicinesque. — §. 9 in dites) indier. — §. 10 servaverant) B. — ib. promisce) B. — §. 11 secundae classis) secunde classes. — §. 12 seniorumque) seniorumque se errore satis manifesto. — §. 13 regionibusque ac collibus) regionib; q. collib; cf. Jahn. N. Ann. Vol. LXIX. p. 662. — ib. a tributo) adtributo i. e. ab tributo. — ib. eae tribus) aee trib;. —

Cap. 44, 1 maturaverat) B. — ib. legis de incensis) B. — §. 2 suovetaurilibus) sucuuetaurilib;. — ib. quia is censendo) qua in censendo. — ib. qui arma ferre possent) B. Cf. Liv. III, 4, 10. — §. 4 postmoerium) postmerium; paulo post circa moerim. — ib. ab humano) ab umano. —

Cap. 45, 1 et ad pacis usus) Praep. ad deest in B. — §. 2 decus. iam tum erat) decus ut (i. e. uel) tantum erat. Quum in P decuis uel tam tum scriptum sit, dubitari potest, an initio fuerit decus uoluit. Iam tum etc. — ib. eum consensum) Cum consensu; deinde autem laudare. — §. 5 eam cives Dianae) eam cuius diane; deinde immolassent. — §. 6 Sabinusque ut prima apta dies sacrificio visa est) sabiniq; ut primum apta dies sacrificii est uisa. Non dubito, quin ut primum, quod et Rhenanus in V videtur invenisse hoc testimonio recipiendum sit. Verba est visa

hoc ordine collocata omnes ante Aldinam vetustae editiones exhibent. — ib. victimae celebrata) uictime. et celebrata.

Cap. 46, 1 haud dubie) haud dubium, ut alii plerique codd. Nihilominus illud praeferendum. Originem erroris ostendunt M L, in quibus est haud dubiem. Cf. I, 9, 6; V, 49, 8. — ib. rex est declaratus) rexemdeclaratus. — §. 2. regni minuit) B. — ib. adversa patrum voluntate) aduersam patrum uoluntatem. — §. 6 in alterum aversa) in alterum uersam. — §. 7 adsuefacta) adsuafacta (M adsuaefacta). — ib. ut elanguescendum — esset) ut elanguescendum — esse. — §. 8 digna esset) B. — ib. domi se) Pronomen abest a B. — ib. adolescentem) adulescentem; sic semper fere uti II, 6, 2; c. 12, 2; 18, 10; 33, 5; 56, 11; adulescentia III, 12, 18; cf. Alsch. ad VI, 34 extr. — §. 9 implet. Lucius Tarquinius) Impleut arruns tarquinius; qua lectione magis etiam commendatur Perizonii coniectura: implet. Ita Lucius Tarquinius. —

Cap. 47, 2 cui nupta) cui innupta. Originem erroris Weissenbornius monstravit. In V recentior demum manus praepositionem adscripsit. — ib. qui meminisset) B. — §. 3 mutata res est) B. Cf. Fabri ad XXI, 57, 14. — §. 4 quin accingeris) qui non accingeris. Paulo post ab chorinto et ab tarquinis. — §. 6 potuisset animo) potuisset et animo. — ib. momentum) monumentum. — §. 7 muliebribus) mulieribus. — ib. omnibus locis) Omissum in B omnibus; idem paulo post §. 8 ut etiam agendae; §. 10 ante inito; ib. non comitiis omissa voce habitis; §. 12 parata ubi uellet omissa particula unde. —

Cap. 48, 1 considere) consedere. — §. 2 cum ille) cui ille, ut deteriores aliquot codd. — §. 3 necessitate iam etiam ipsa) B, nisi quod ipsā scriptum est. — ib. deiecit) B; paulo ante per gradum. — ib. rediit) B. — §. 4 cum [semianimis regio comitatu]) B. Non satis causae video, cur in his verbis haesitemus, dummodo levi mutatione semianimi legatur, ut vulgo olim editum est. Etsi enim fuga apparitorum et comitum facta esse traditur, non tamen aut omnes aut in remotissimas statim partes diffugisse credibile est; immo et apparitores comitesque et regem ipsum eandem fugae viam ingressos et aliquos saltem regi aggregatos esse quum per se verisimile est, tum diserte prodit Dionysius Hal. IV, 38 (*παραπεμπόντων αὐτὸν ὀλίγων*). Itaque quemadmodum in verbis fit fuga etc. id potissimum inest, neminem comitum tantam iniuriam regi illatam ulcisci ausum esse, sic verbis semianimi regio comitatu causa additur, quare nullo negotio Servius a satellitibus Tarquinii occidi potuerit. Paulo post in B ut in omnibus paene codd. post reciperet inseruntur verba peruenissetq; ad summum cos. primum uicum, haud dubie librariorum errore ex §. 6 huc translata. — §. 6 ad summum cyprium vicum) B. — ib. flectenti) flectendi, quae lectio fidem facere possit Gronovii coniecturae flectendo. Cf. Roth. ad Tac. Agr. Exc. XX. — ib. Esquiliarium eveheretur) esquiliarum ueheretur. — §. 7 locus est: Sceleratum) B. — ib. tulisse) tulisset; deinde prope dic. — §. 9 in B verba ac tam moderatum imperium tamen exciderunt et subinde est pro esset scriptum. — ib. ni scelus) nisi scelus; paulo post agitandi. —

Cap. 49, 1 occepit) coepit. — §. 2 primoresque) primores. — §. 3 verba ad ius regni praetermissa in B sunt. — §. 6 praecipue ita patrum numero) B. — §. 7 regum) regnum; dein primus ut traditur. — §. 9 nuptum dat) nuptam dat; deinde per quem et nuptias. —

Cap. 50, 1 conveniant) conueniat. — §. 2 tota die) B; paulo post in concilia. — §. 3 Superbo inditum Romae) B. Cf. Jahn. N. Ann. Vol. LXIX. p. 662. — ib. clam quidem mussitantes vulgo) clam quidam musitantes uolgo. — §. 4 a domo) ab dono. — §. 5 debere) deberet. — §. 6 sin suos) si in suos. — ib. amittant bona) bona amittant. Non videtur unius codicis M auctoritate ordo

verborum mutandus esse. Immo huc pertinet quod Fabri ad XXIII, 32, 15 docuit. — §. 7 facinerosusque) facinorosusq; dein isq. artibus opes dominatus. — §. 9 posse ni) post seni. —

Cap. 51, 1 abiit) habiit. Paulo post animos domi pressit per adversae etc. quindecim verbis praetermissis. — §. 2 corrupit, in deversorium) corrupit in diuersorum. — §. 4 concilii afuerit) concilia fecerit. — §. 6 ingentem esse numerum) B. — §. 7 caedes) caedis; sic infra II, 22, 4 cladis. — §. 9 deiectus) delectus; item paulo post grate. —

Cap. 52, 2 quo ab Tullo) qui ab tullo. — ib. cum coloniis) cum colonis. — §. 3 potius) postius; paulo post perpessi sunt. — §. 4 videbant) B. — §. 6 ex binis) B. Quod est in B ex is binis pro mendo habendum.

Cap. 53, 1 quin ea arte) qui in ea arte. — §. 2 post suam) post suos. — §. 3 divendita) diuidenda; paulo post argenti req. | cepisset concepit. Inde patet quomodo vulgata olim lectio argenti aurique nasci potuerit. — §. 5 faciendis) B. — ib. in se saevitiam) in se seseuitiam. Fortasse in sese saevitiam legendum. V. ad XXI, 1, 2 inter sese sed; XXXIX, 26 med. — ib. ab alienis) ab aliis. — §. 6 ne quem heredem) neq; heredem. — §. 7 apud hostes) apud hoste, dein L. Tarquinii. — ib. manere iis bellum) manore his bellum. — §. 8 Volscosque) uulscosq; — §. 9 armaque se) Deest se. — §. 10 abiturus) habiturus. —

Cap. 54, 1 Inde in consilia) Indē consilia. — ib. eae notiores) ea notiores; paulo post B, ut plerique codd., auctor esset. In eo etc. — §. 2 ipse cum) Ipsis cum. — §. 5 ex suis unum sciscitatum) B. — ib. ut omnia unus [prae] Gabiis posset) ut omnia unus. p. gabinis posset. Id quod Alschefskius recepit prae Gabinis idoneum esse iure negavit Weissenbornius. Videtur legendum esse publice Gabiis; cf. Fabri ad XXII, 22, 13. Quum semper fere in codd. respublica duabus litteris rp. exaratum sit, facile idem scripturae compendium huc transferri potuit. Simili errore II, 2, 5 in B scriptum est rei preuinceret pro rei publicae vinceret. — §. 6 sequente) sequenti. — §. 8 opportunos) oportunos. — §. 9 divisui) diuisi. — §. 10 largitiones inde praedaeque) B. —

Cap. 55, 1 patrem vovisse) patrē uduisse. — §. 2 quod inaedificaretur) quodinae edificaretur; unde profecta est nonnullorum codd. lectio quod in ea aedif. — ib. a Tatio) B. — §. 3 cum omnium) cum exomnium. — §. 4 idque omen) Idq; nomen; paulo post eum excidit ante deorum. — ib. sacratis sibi) sacratis ibi. — §. 6 in urbe) in urbem. — §. 7 Pometinae) pomptine. — §. 9 quippe summam) quia summa. Probabilis est Bekkeri coniectura quippe; nondum tamen omnem dubitationem de hoc loco exemptam mihi esse libere fateor.

Cap. 56, 1 haud parvus) haud patrius. — §. 2 quam postquam) quae postquam; paulo post aliquando et traducebantur. — ib. sub terram) B. — §. 5 inclutum) inclytum. — §. 7 comes iis) B. — §. 8 opperiretur) operiretur. — §. 9 is tum ab Tarquiniis) Is cum ad tarquinis. — ib. baculo) paculo. — §. 11 in B post fuerat excidit particula ut. — ib. redissent) reddisset. —

Cap. 57, 2 ministerio) ministeriis. — §. 4 in his stativis) in histatiuis. — §. 5 comisationibusque) comessationib. que. At infra III, 29, 5 in B est comisantium. — §. 6 Collatinus) Conlatinus et sic deinceps; sed c. 58, 7 Collatine. Cf. supra ad c. 38, 2. — §. 7 quod necopinato) quod necinopinato. Fortasse legendum est quod in necopinato etc. i. e. quum necopinatus viri adventus sit. Quamquam et II, 14, 6 res necinoppinata mendose scriptum est pro necopinata; item II, 22, 2. — §. 8 avolant) B. — §. 10 victor) uictus. — ib. ibi Sex.) ubi sextus. — §. 11 iuvenali) B. —

Cap. 58, 2 deductus) ductus. — ib. satis tuta circa) B. — §. 3 ex somno) ex omni. — §. 4

obstinatam) ostinatam. — §. 5 eundem) eundum. — §. 7 mulieri) mulieris B solus. — §. 8 Sex est Tarquinius) B. — ib. si vos viri) suosuiri. — §. 9 noxam) noxiam. — ib. afuerit) B. —

Cap. 59, 1 illis) illic. Paulo post B ex uolnere atque eodem modo II, 17, 3; c. 19, 10; sed II, 6, 9 uulneraret. — ib. manante cruore) B. — §. 2 Collatino) cum latino. — ib. miraculo rei) miracula rei. — §. 4 cum patris) cum patres. — ib. querellarum) querelarum. — §. 5 ferocissimus) B. — ib. inde pars praesidio relicti) inde patri paris praesidio relicto. Nescio an legendum sit inde parte praesidio relicta Collatiae et deinde transpositis verbis custodibusque datis ad portas, ne quis etc. Custodes enim ad portas collocantur non omne praesidium. — §. 6 incedit) Omissum est. — §. 7 Celerum) celebru. — §. 10 caedis et) caede | sed; dein nefandoq;. — §. 11 scriptoribus) scribitorib;. — ib. subicit) subiecit; uti deteriores plerique mss.; pariter paul opost perculit. — §. 12 relinquit) B. —

Cap. 60, 2 simultatium) B. — ib. concierat) concitauerat. — §. 3 quinque et viginti) V et XL; eadem prorsus numerorum signa excusa sunt in Bechariana et Aldina editionibus, de quibus parum recte prodit Drakenborchius. —

Oeffentliche Prüfungen der Klassen I, A. I, B. II. III. der lateinischen Schule.

Montag, 4. August, Vorm. 8—10½. Prüfung der protestantischen Schüler der I. II. u. III. Klasse in der Religionslehre.

10½—11. Prüfung der katholischen Schüler der nämlichen Klassen in der Religionslehre.

Prüfungen in den übrigen Gegenständen des Unterrichts.

Dienstag,	5. August,	Vorm. 8—10. I. Kl. Abth. A.		10—12. I. Kl. Abth. B.
Mittwoch,	6. August,	Vorm. 8—10. II. Kl.		10—12. III. Kl.

Oeffentliche Preisevertheilung und Entlassung der Abiturienten

am Donnerstag den 7. August Vormittags 10 Uhr.